

Anno Scolastico 2019-20

Classe 3BS

**DISCIPLINA: LINGUA E CULTURA LATINA**

DOCENTE: prof.ssa MANUELA COLOMBO

Libro di testo in adozione: A. Roncoroni – R. Gazich, *Vides ut alta*, Signorelli, volume 1; S. Fiorini – F. Puccetti, *Tempus discendi*, D’Anna, voll. 1 e 2 esercizi

**Lavoro estivo**

**Lavoro estivo per tutta la classe**

Gli allievi condurranno un nuovo esercizio di studio, traduzione e analisi dei *Carmina* di **Catullo** indicati qui e nel programma depositato e pubblicato su questo sito, provvedendo alla correzione del quaderno “manoscritto e autografo” redatto nel corso del pentamestre sulla base delle spiegazioni on line durante i mesi di DaD.

**Catullo, Carmina** 1, 5, 8, 51, 58, 70, 72, 75, 83, 85, 87,109

**Lavoro estivo di recupero con PAI (insufficienza in pagella)**

oppure

**Lavoro estivo comunicato per lettera e/o registro elettronico**

Gli allievi condurranno un nuovo esercizio di studio, traduzione e analisi dei *Carmina* di **Catullo** indicati qui e nel programma depositato e pubblicato su questo sito, provvedendo alla correzione del quaderno “manoscritto e autografo” redatto nel corso del pentamestre sulla base delle spiegazioni on line durante i mesi di DaD.

**Catullo, Carmina** 1, 5, 8, 51, 58, 70, 72, 75, 83, 85, 87,109

Gli allievi studieranno il percorso sul *De Catilinae coniuratione* di **Sallustio**, avendo cura di tradurre nuovamente e di analizzare i passi già tradotti e analizzati in classe e riportati in calce a questo documento (e comunque già in possesso degli studenti).

N.B. verifica nel mese di settembre

**PASSI da SALLUSTIO**

**Sallustio, De Catilinae coniuratione**

**Sallustio, De Catilinae coniuratione**

9. Igitur domi militaeque boni mores colebantur; concordia maxuma, minuma avaritia erat; ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate, seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in bello saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant quique tardius revocati proelio excesserant, quam qui signa relinquere aut pulsi loco cedere ausi erant; in pace vero, quod beneficiis magis quam metu imperium agitabant et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant.

10. Sed ubi labore atque iustitia res publica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac miscere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium divitiaeque optanda alias, oneri miseriaeque fuere. Igitur primo imperi, deinde pecuniae cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artis bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare magisque voltum quam ingenium bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari; post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas inmutata, imperium ex iustissimo atque optumo crudele intolerandumque factum.

14.

In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se tamquam stipatorum catervas habebat.

16. His amicis sociisque confisus **Catilina**, simul quod aes alienum per omnis terras ingens erat et quod plerique Sullani milites largius suo usi rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum exoptabant, **opprimundae rei publicae consilium cepit**. In Italia nullus exercitus, Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat; ipsi consulatum petenti magna spes, senatus nihil sane intentus: tutae tranquillaeque res omnes, sed ea prorsus opportuna Catilinae.

26. His rebus comparatis Catilina nihilo minus in proximum annum consulatum petebat. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant.. Postquam dies comitiorum venit et Catilinae neque petitio neque insidiae, quas consulibus in campo fecerat, prospere cessere, **constituit bellum facere et extrema omnia experiri**, quoniam, quae occulte temptaverat, aspera foedaque evenerant.

29. Ea cum Ciceroni nuntiarentur, ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat neque, exercitus Manli quantus aut quo consilio foret, satis compertum habebat, rem ad senatum refert iam antea vulgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, darent operam consules, ne quid res publica detrimenti caperet. Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque civis, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nullius earum rerum consuli ius est.

50. Consul ubi ea parari cognovit, dispositis praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato senatu refert, quid de iis fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Sed eos paulo ante frequens senatus iudicaverat contra rem publicam fecisse. Tum D. Iunius Silanus primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de iis, qui in custodiis tenebantur, et praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumundum decreverat. Sed Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule huiusce modi verba locutus est:

51 "Equidem ego sic existumo, patres conscripti, omnis cruciatus minores quam facinora illorum esse. De poena possum equidem dicere, id quod res habet, in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curae neque gaudii locum esse. Postquam res publica adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia huiusce modi fieri coepere, tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus exsilium damnatis permissum est. Patres conscripti, ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia."